Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Sarephthana

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

aliquid? I. Tu uero reſpondeas, tuorum membrorũ minimum craßius eſſe quàm tui parentis medium corporis truncum. Quòd ſi ille eos graui iugo preſſit, te preſſurum grauiore. Si eos ſcuticis cæcidit, te eos ſcorpionibus conciſurum. R. Probe. ueſtrum mihi conſilium magis probatur, quam ſenum. itaq; id ſequar.

SENTENTIA.

Senum propria eſt prudentia: iuuenũ temeritas. Stulti ſtultorum conſilijs libenter obſequuntur.

SAREPHTHANA. 3. Reg. 17.

ARGVMENTVM.

Elias miſſus à Ioua, Sarephthanam mulierculam, perpetuata eius farina & oleo, à fame tuetur.

Elias, Sarephthana mulier.

HEus mulier, quæſo te ut petas paululũ aquæ in aliquo uaſculo, quod mihi bibendum des. S. Ego uero & perlibenter. E. Sed heus afferto tecum & fruſtum panis. S. Ego uerò (Iouam Deum tuũ immortalẽ teſtor) coctũ nõ habeo: ſed tantum farinæ pugillũ in cado, & olei puſillũ quid in ampulla. Nunc colligo paululum ligni, ad id quod habeo, mihi meisq; liberis parandum: quo conſumpto, ſupereſt ut fame pereamus. E. Bono es animo, i factũ ut dixiſti. Sed mihi prius depſiticium inde confe-

ctum

ctum afferto, deinde tibi tuiſq; liberis factura. Nam hoc tibi à Ioua Iſraelitarum Deo confirmo, non prius farinæ cadum & olei ampullam exhauſtum iri, quàm Ioua [a] terram pluuia irrigauerit. s. Faciam ut iubes.

a Hoc p
pterea d
quòd fa
illa orta
à defectu
uiæ.

SENTENTIA.

Tenues & famelicos reſpicit Deus. Tenues & famelici multo & facilius credunt Deo, quàm potentes & ſaturi. Primitiæ debentur Deo & ſuis. Deus eorum laborem felicitat, qui Deo primas tribuunt. Feliciter habet, qui Deum habet, quantulum cunq; habet.

ELIAS. 3.Reg.18.

ARGVMENTVM.

Elias cum latuiſſet tres annos & ſex mēſes, quo toto ſpacio nō pluerat, inuentus ab Abdia, uenit ad regem Achabum: & conuocatis Baalis Lucaniſq; uatibus, conſtituto inter ipſos & Eliam certamine de litatione, cum illi litare Baali non potuiſſent, ipſe Iouæ litat: deinde uates illos necandos curat. Poſtremò conſcenſo mōte Carmelo, pluuiam impetrat à Ioua.

Abdias, Elias, Achabus, Populus, uates Baalis, puer Eliæ.

Miſit me rex ad quærēdā tota regione aquā, ſi fortè gramē inuenire poſſimus, quo tole-

remus